

tur, cum quibusdam nostris è patriâ advectis (quæ tamen minora, & portatilia saltèm erant) conferre liceret. Ac reperio etiamnum inter chartas meas Observationes quasdam, Spicæ præsertim, tunc temporis in meâ præsentia denotatas, ipsâq; Patris tui manu consignatas. Superveniente verò lugubri quodam casu, cum tenella eius filiola, soror tua diem obiret, & Parens ob id in luctu esset, ego, nè molestia aliquâ animum, ægritudine tunc è <sup>σδρ</sup> paternâ laborantem afficerem, isthinc discedens, ad Nundinas Francofurtenses (quæ instabant) me contuli, & postmodum reliquam Germaniam transiens, boreales Italiæ partes ingressus sum. Inde autem ad Comitata Ratisponensia, quando RUDOLPHVS Maxim: Imper: F: Rex Romanorum inauguraretur, consultò rediens, ut cum claris & eruditis viris, quos sciebam eò frequentes venturos, familiaritatem inirem: Expectabam tum Parentem tuum isthic cum alijs Germaniæ Primatibus affuturum: Avebat enim animus cum eo potissimum Principe ulterius colloqui. Sed hâc spe frustratus, multos tamen præstantes & eruditos viros, qui eò convenerant, mihi familiares reddidi; quibuscum de rebus Philosophicis gratè & iucundè disserui. Hinc in patriam ante hyemem reversus, intellexi à quibusdam præcipuis viris, qui Legatione nomine Serenissimi Regis nostri Opt: mem: FREDERICI II. interea, dum ego è patriâ abessem, Cassellis perfuncti erant, laudatissimum Parentem tuum sollicitè de me quæsisse: Atq;

non